Pisani vero licet super hoc non offenderent Deum laborabant tamen timentes ne deterius contingeret eis et iacula providebant de percussionibus dubitantes. tamen procedente tempore prestita fides evanuit. et omnia vincula sunt soluta in derisu remanente pisa et sena penitus superata et marturientibus ad mandata conversis. Unde versus:

Prestant concordes lucrati tempore sordes.

Eodem anno senenses de suis iuribus confidentes et de predictorum magno suffragio proposuerunt castrum Montempulcianum arte destruhere inter habitatores eiusdem seminando discordiam crevit ita multiplicans quod milites octuaginta pretio corrupti castrum inregressibiliter exivere guerram incontinenti facientes eisdem. et civitatis senensis contra iuramentum pacis antique sunt habitatores effecti. Senenses vero non principales sed adiutores